





1523, 27

30

42

DECANVS

FACVLTATIS IVRIDICÆ

ALMÆ ET PERANTIQVÆ ELECTORALIS VNIVERSI-
TATIS ERFORDIENSIS

ERNESTVS TENZELL,

ICTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS, IVDICII PROVINCIALIS. ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC
DICTÆ CIVITATIS CONSVL PRIMARIVS,

LECTVRIS S. P. D.

EISQVE INDICAT

DIE XI. OCTOBR. ANNO M DCC XXIII,

ESSE HABENDAM

LECTIONEM CVRSORIAM

Super L. i. ff. Quod quisque Jur. in alt. &c.

ET HAC FINITA

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE PEREGRINIS,

A NOBILI ET CLARISSIMO

DOMINO

JOANNE GEORGIO VOGELIO,

Salzkotens. Westphal.

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI,
ET CVM INSTITVTI RATIO POSTVLET

QVÆDAM

DE SODOMIA

VITÆ CVRRICVLO PRÆMITTIT.

ERFORDIÆ,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



54



Uperbientis ac turgidi hominis iudicium versatur in eo, quo gloriam vanam per Studiurn novitatis, & per hoc in ceteros speciem emergendi, si non imperandi, sibi acquirat. Hinc tanta Republ. literariam invasit Luxuria, ut non solum scriptis repleant cuncta, sed & insuper, quod literis dare erubescunt, alio modo, monstrante commodam occasione viam, divulgent. Datur adhuc aliud eruditorum genus, quos ingens pruritus fere similes fecit illis, qui in nudinis, Stentorea voce merces adstantibus commendando, omnium oculos animosque in se convertunt. O misera Reipubl. nostræ facies! ubi tanta inter Eruditos discrepantia non solum, sed maxima deprehenditur contrarietas, ita ut plurium inventa, tanquam fœtus impotentis animi & immaturi Iudicii, potius è Republ. literaria eliminanda, imo releganda. Nonne hisce Jurisprudencia nostra maximam patitur labem? Sic homines quorum fides nunquam hallucinari deberet, in proferendis
sen-

12
sententiis erroneis, & animis discentium inculcandis, fūco detractō, se ipsos conspurcant. Fufius possem hæc per omnia studiorum genera monstrare, ni, pagellarum angustia ipsum potius propositum (mutillato nim. de Sodomia conceptui larvam detrahendi) citra ambages exequi juberet. Primam atrocissimi, & fecidissimi (ita ut CARD. TVSCH, T. 7. Concluf. præf. 316. n. 4. commotus statuere: Diabolum qui tamen alias dicitur spiritus fornicationis & spurcitæ, in omni peccato alias assistens, in hoc propter fœtorem non assistere.) hujus delicti originem (quoad mentionem sc. pœnæ in gravissimam detestationem) ex Sacra Scriptura revocandam haud quenquam dubitantem offendi, & quidem ex *Genef. c. 19.* ubi proprie describitur, eamque ob causam civitates ibidem allegatas igne combustas esse traditur. Somniare hinc quidam conati sunt, falsum admodum hunc de Sodomia esse conceptum, & illum non solum crimen hoc incurrere, qui monstrosam cum sui simili exerceat venerem, sed etiam fastuosum quemque, omniumque rerum copia abundantem, hinc penicillo jaſtantæ, colorem justitiæ ac veritatis ex Sacra Scriptura addere non erubescunt, & quidem ex dicto *Hesek. 16. v. 49. & 50.* *Hæc sane culpa fuit Sodome Sororis tue, quod cum tum ipſa, tum ejus filia, culmen & victus saturitatem, oculique prosperitatem haberent, inopibus egentibusque non opitulæe sunt. Sed superbientes flagitium adversum me fecerunt, quo ego viſo eas sustuli.* Possem equidem silentio hæc præterire, nihil enim magis ostendit dictum hoc, in sensu allato acceptum, quam Sodomiam, tumoris Ecclesiastici, ut & Politici, sociam, concubinam,

ag- & cognatam, ni dicere velis genitricem, ast quoniam materia hæc mirifice turbatur, pristinam restituendam faciem (licet pro dolor) & hunc de Sodomia conceptum proscribendum, non immerito existimo. Ambigendum quidem haud est, pluribus, imo gravibus, & fere omnibus peccatis, Sodomitæ inquinatos fuisse, sed præcocis ac immaturi Judicii notam incurreret, qui omne peccatum inde Sodomiam dicere affuelleret, & licet in *all. S. S. loco* dicatur: *Erat hæc Sororis tuæ culpa.* tamen non id erat culpa quam ob causam Sodoma igne combusta, sed erat causa præcedens, quæ ansam majori malo sequenti dabat, traditur enim in *d. c. 19.* expresse, Dominum adductum fuisse ad visitandum, & cum id ipsum de quo Fama ad eum pervenerat, præsentibus ipsius Legatis accidisset, Sulphureis flammis loca cum incolis devastasse. Si itaque causa recte ab effectu distinguitur, dictum hoc Scripturæ Sacræ facillime poterit conciliari. Sed ad Jurisprudentiam nostram oculos quoque convertam, & quid circa hoc atrocissimum delictum ibi contineatur percontabor. Optandum quidem esset, hoc nefandum, execrandum & abominandum scelus, universo generi humano, multo magis Christianis esse incognitum, sed cum, (uti priscis temporibus, ita quoque hodiernis) dentur homines nequissimi, omnem sensum humanitatis deponentes, horum pruritui intempestivo (quamvis fera) paranda medicina. Jura comprehendunt sub hoc detestabili crimine similia, imo graviora delicta carnis, ratione sc. pœnæ intelligendæ, eaque appellare solent Sodomiam, (ob quæ Deum quoque gentes ejecisse constat, vid.

vid. *Lev. 20. v. 13. 15. 16. Lev. 18. v. 22. 23. Exod. 22. v. 19. Deut. 27. v. 21.*) quam Ddres dividere solent, in eam quæ cum hominibus & cum Brutis committitur, priorem iterum triplicis esse generis statuunt, sed ne pudicas offendam aures explicationem horum omit- tam, & remittam B. L. ad DIETHERRVM *in novo orbe literatorum s. Theſ. Pr. BESOLD. continuat. voce Sodomiã.* cui potest addi ANT. MATTH. *in Tr. De Crimi- nibus ad ff. lib. 48. tit. 3. p. m. 460. in f.* qui varia quo- que horum hominum genera ac nomina quibus in- signiuntur, recenset. Gentiles delictum hoc quoque abhorruerunt, & ita PLATO *l. 8. de Leg. scriptum re- liquit: Abstinentium igitur à maribus jubeo. Nam qui istis utuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem seminantes, ubi radices agere quod scribitur, nun- quam poterit.* Hinc quoque antiquis non solum sed & recentioribus Juribus acerrime hoc delictum vin- dicatum, uti videri potest *S. 4. J. de publ. Jud. l. 31. C. de Adult. & Stupr. l. 1. §. ult. ff. de Extraord. Crim. Novell. 77. c. Clerici 4. X. de Excess. Prælat. Ord. Crim. CAR. V. art. 116.* Mirum exinde, cum gentiles scædum hoc esse cri- men perfrictæ frontis potuerint, tam perfrictæ frontis fu- isse JOHANNEM DE CASA, *Florentinum, Archiepisco- pum Beneventanum, Legatum Pontificium, & Camera Ap- ostoplice Decanum,* ut non solum laudes Sodomix Car- mine Italico celebraverit, sed & insuper spurcissimum hoc delictum divinum opus appellare ausus fuerit, an- nectens se aliam Venerem non novisse, quare & WIS- SENBACH, ipsum nefarium cinædum appellat, & omnem ipsi pudorem periisse *in Dissertat. 34. lib. 48. n. 26. ad ff. asserit.* Historia ejus potest videri ap. CHEM-

NIT.

NIT, in *Exam. Concil. Trident.* p. 6. § 125. de cœlibatu Sacerdot. DANNHAVER in *Coll. Decalog.* ejusmodi Cynædos canes appellavit, ubi quoque plura de nefando hoc crimine reperiet L. B. ut & in *Theolog. Consc. ej. T. 1.* p. 814. & *seqq.* add. CARPZ, p. 2. qu. 76. CARD, TVSCH. T. 7. *Conclus. Pract.* 316. 317. 318. CRVS. de *Indic. Delict.* BESOLD. *Thef. Pract.* voce Sodomia. RITERSHVS. ad *Nov. p. 12. c. 9. p. m.* 686. quorsum illum brevitatis ergo remitto. Jam restat proponendum vitæ curriculum

Nobiliss. & Clarissimi Domini

JOANNIS GEORGII VOGELII,
Westphali, Saltzkottenensis Patriâ.

Qui natus ibidem Anno recuperatæ Salutis 1683. die Divi Baptistæ sacro, Patre Domino MAVRITIO VOGELIO (ea familia, quæ in Majoribus, posterisque Consiliarios Intimos, Judices Aulicos, & Principum Cancellarios edidit, & in præsentiarum exhibet, progenito) Consule & Salinatore prædictæ Urbis, Matre verò Ornatissimâ MARIA ELISABETHA, D. JOANNIS ROSE, Civitatis Liptadiensis quadragenario & ultra Consule, investiceps Patre Orbus Maternâ tum Pietate, tum verè Paternò & incredibili Consilio & curâ Dn. JOANNIS JODOCI HIBIVS, *Vitrici Judicis in Furstenberg,* studiis dedicatus, Padibornæ datis per Huminiora Speciminibus inter Philosophiæ Baccalaureos secundus, ad celeberrimam Universitatem Pragensem se contulit, subque clarissimo Dn. JOANNE ADAMO BESNECKER, *J. U. Doctore Professore Regio*

gio Publico ac Ordinario Annis 1706. 7. 8. curriculum Juris emensus, singulari admodum R. Pat. S. J. Patrocinio in Silesia Illustrissimorum Dom. Comitum Præfecturæ admotus, Dn. CASPARVM NEYMAN, J. U. Antecessorem, & Professore[m] Vratislaviæ Annis 1713. 14. & 15. legentem denuo audit, cumque placidissimo & hâc rerum intemperie non sat dilaudandô Illustrissimi sui Dn. Junioris FRANCISCI ALBERTI COMITIS TENEZIN genio & Ingenio solitum Præfecturæ onus, ne Jupiter odisset, quem Instructorem Juventutis fecisset, redderetur levius, consultissimum Virum Dn. SAMVELEM WILLICH, Curia Supremæ, Regiæ, nec non Civitatis Vratislaviensis Advocatum Ord. floridissimum practicum nactus est Magistrum, ab eo fideliter edoctus, ut quam viam pro stabiliendis laribus in praxi cœpisset, deinceps ambularet, allectus confestim addictissimo ejusdem hortatu, die 25. Octobris An. 1717. in Album Advocatorum Curia Regiæ Ducatus Vratislaviensis, hic de iit esse Peregrinus, cœpit esse in Elysiis Silesius, & ut totus fieret ad vota progressus 12. Jan. An. 1719. sociam vitæ sibi junxit morigeram JOANNAM BARBARAM, Dni RAPHAELIS NURNBERGERI, Archiatri per Silesiam privilegiatæ secundò genitam, non contentus in Urbe duxisse Civis filiam nisi de Urbe & civis esset, unde oblati Amplissimo senatui Vratislaviensi precibus Advocatorum Curia & Civium numero 21. Aug. 1720. se inscriptum esse in acceptis quàm gratisimè refert, demum annuente Alma Univeritate Leopoldina S. J. Vratislaviensi ob privatam Illustrissimis Dnis Junioribus, præprimis Illustrissimo Domino JOANNIS, R. I. CO-

130

COMITI DE PROSKAU (pl. tit.) per complures annos, & hoc elabente Illustrissimo Domino ANTONIO S. R. J. COMITI DE PROSKAU navatam in iure operum gratiosissimis Curiaē supremae Cæsareae Regiaēque Ducatus superioris & Inferioris Silesiæ Codicillis, sub lege gradus Doctoralis Professor legum renuntiat. Jussum adimpleretur, nostram perantiquam Universitatem nuperrimè accessit, & desideravit submitte ut in numerum Jurium Candidatorum cooptaretur, ipsique terminus ad Examen rigorosum præfigeretur, Honesto ejus desiderio non potuimus obesse, exinde transmisimus textus ex utroque Jure elaborandos & præfiximus tempus ad ipsum Examen. In quibus Speciminibus præstitit se laude dignum, imo talem qui unanimi consensu ad ulteriora, imo ad ipsum Gradum Doctoralem admittendus sit. Monstrare itaque & aliis quid humeri valeant, quid ferre recusent die II. Octobr. est paratus, & quidem primo in habenda Lectione Curatoria, & postea in ipsa Dissertatione Inaugurali. Quo autem Magnif. Dn. Rector, Universitatis nostræ Procures ac Cives frequenter his actibus solennibus interesse velint, decenter invito, eisque paria occasione & ordine eos tangente promitto. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. Dom. XX. post Trinit. Anno 1723.

L.S.

Erfurt, Diss., 1723

X 2386946


ULB Halle

007 436 556

3







B.I.G.

Farbkarte #13

1723, 27

30

42

DECANVS
FACVLTATIS JVRIDICÆ
ALMÆ ET PERANTIQVÆ ELECTORALIS VNIVERSI-
TATIS ERFORDIENSIS
ERNESTVS TENZELL,
JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS. ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC
DICTÆ CIVITATIS CONSVL PRIMARIVS,

LECTVRIS S. P. D.

EISQVE INDICAT

DIE XI. OCTOBR. ANNO M DCC XXIII.

ESSE HABENDAM

LECTIONEM CVRSORIAM

Super L. i. ff. Quod quisque Jur. in alt. Sc.

ET HAC FINITA

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE PEREGRINIS,

A NOBILI ET CLARISSIMO

DOMINO

JOANNE GEORGIO VOGELIO,

Saltzkotens. Westphal.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI,
ET CVM INSTITVTI RATIO POSTVLET

QVÆDAM

DE SODOMIA

VITÆ CVRRICVLO PRÆMITTIT.

ERFORDIÆ,

TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.